



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



PSALMUS XXII.

Titulus: *Psalmus David.*

Argumentum est *eximia Dei benevolentia erga Electos.*

v. 1. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ, ibi me collocavit.

Electos felices ait, & comparat ovibus, quæ ab optimo aliquo Pastore reguntur. In eorum personâ dicit: *Ovicula Dei sum, & quia Deus est pastor potentissimus, sapientissimus, optimus, nihil mihi deerit.* Dein recenset 8. bona oviculis necessaria. Primum: *in loco pascuæ,* non in loco arido, deserto collocavit, sed in pascuis uberrimis, quæ mysticè sunt notitia Dei, Eucharistia, panis verbi Dei, veritas &c. hæc enim vitam spiritualem sustentant, & augent.

v. 2. Super aquam refectiois educavit me, animam meam convertit.

Secundum bonum: aluit me in loco vicino Salubribus aquis, ut possim ab æstu



æstu, & sitis ardore refrigerari. Gratia Dei est aqua Spiritualis, quæ concupiscentiæ ardorem restinguit. *Animam* &c. est tertium bonum; bonus pastor errantem me quæsiuit, & reduxit: potest homo solis suis viribus à Deo averti, at non reverti.

v. 3. Deduxit me super semitas justitiæ, propter nomen suum.

Quartum bonum: ingredi me fecit per viam angustam præceptorum suorum, removendo occasiones peccandi, minuendo vires tentationum, augendo caritatem, illustrando, alliciendo, terrendo &c. Neque id facit ob merita nostra præcedentia, sed *propter nomen*, gloriam, honorem suum.

v. 4. Nam & si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Quintum bonum defensio à lupis, & feris silvestribus. Et si ambulavero in medio ingentium tenebrarum, ubi multa undique pericula circumstant ferarum, latronum &c. *non timebo* &c. Incredibili-



lis securitas in corde Justī est, dum cogitat Deum sibi adesse, cui resisti non potest.

v. 5. Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.

Sextum bonum sustentatio fatigati. Omisā similitudine ovium, loquitur jam propriè de hominibus: hi soli lassī baculo sustentantur. Dum Deus videt suos lassari, & lentius progredi, quam par esset, adhibet & Verbum increpatorium, & consolatorium, ut altero excitet, altero sustentet: Utrumque solatur, quia anima videt, profectum suum curæ esse Deo.

v. 6. Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.

v. 7. Impinguasti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quā praeclarus est?

Septimum bonum: Deus Justos in tribulationibus, quas evadere non possumus, variè consolatur: hæc solatia metaphorice exprimit per mensam refertam cibis optimis; vinum inebrians, seu ap-
tissi-

tissimum ad exhilarandum; per oleum
 seu unguentum pretiosum, quo Veteres
 in conviviis ungebantur.

ψ. 8. *Et misericordia tua subsequetur
 me, omnibus diebus vitæ meæ.*

ψ. 9. *Et ut inhabitem in domo Domi-
 ni, in longitudinem dierum.*

Ultimum bonum, quod perducit ad
 summum bonum. *Subsequetur me* non
 ad tempus, sed, quod est donum pro-
 prium Electorum, perseveranter usque
 ad finem vitæ, donec inhabitem in Cælo
 in æternum.

PSALMUS XXIII.

Titulus, & Argumentum: *Psalmus Da-
 vid, prima Sabbathi.*

Hanc partem, *prima Sabbathi*, Græ-
 cus addidit, fortè, quia in principio Psal-
 mi fit mentio creationis Mundi, quæ pri-
 mâ Sabbathi, seu die Dominico contigit.

Psalmus proprie est de Christi Af-
 censione.